

Est mons per horam unicam ab urbe altus et amplus; in hoc monte ante hos annos serui plurima semina plantarum Sibiricarum, quæ nunc ibi sylvestres factæ, egregie luxuriant et se multiplicant, uti nostrates et jura civium Floræ Suevicæ sibi expetunt.

Impatienter expecto reditum desideratissimi fratris Tui, de quo audivi quod sit in itinere constitutus, quod secum habeat plantarum thesaurum stupendum exsiccatum. Quæso, patrone optime, pro me apud eum intercede, ut aliquot mihi det plantas quas in decuplo habeat; more receptum apud omnes nationes est, quod divites et opulentes eleemosynas dent clamantibus pauperibus. Utinam redeat brevi, felix, sanus et incolumis.

Discipulus meus Kalmius rediit præteritâ æstate dives plantarum Canadensium et Pensylvanicarum; alter Lœfling accessit ad Hispanos. Tertius Hasselquist redux ex Ægypto et Palæstinâ adhuc in Cypro hæret.

Kalmii plantas extricare quotidie occupor. Genera inde plura nova reportavi, quæ nunc imprimuntur, et ad te propediem mittam per Legatum vestrum; videbis inter ea varia forte minus trita; Kalmius interea quotidie occupatur in conscribendâ florâ Canadensi, quæ erit satis dives; addet loca natalia et usum tam medicum quam economicum, nec non descriptiones rariorum.

Lœflingius occupatissimus est in indagando animalcula marina, Polypos et quæ Coralla constituunt; nec non in Muscorum notitiâ versatissimus est.

Observavi ante aliquot dies in staminibus Ocymi versus basim dentem singularem, qui constituit characterem essentialem, et præsens est non modo in vulgari Ocymo sed et in Zeylanico.

Totam æstatem debui transegisse apud Clementissimam Reginam nostram redigendo in ordinem Museum ejus, quod habet selectissimum, nullis parcens sumtibus modo acquirat rariora. Conchas et Cochleas ejus omnes descripsi; ad genera subalterna reduxi, differentias specificas imposui; varietates speciebus subjunxi, synonyma e Rumpfio, Bonano, Dargenvillo, Gualtero imposui et sic in his puto me aliquid præstitisse, quod antea factum non fuit.

Quo magis istud problema volvo, de plantis hybridis \* s. novis plantarum speciebus ortis ex diversis parentibus, eo magis in istâ cogitatione confirmor; nequit hoc latere iis, qui probe plantas examinant, præsertim iis qui hortos possident academicos. Utinam etiam Tu animum hisce impendere velles! Sunt nobis plantæ, de quibus non conveniunt botanici utrum species sint diversæ vel non; varietates non facile alias dicimus, quam quæ colore, odore, sapore, magnitudine, monstruositate solius individui

\* Vide supra, not. † ad p. 212.